



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet**

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &  
Festos, ab ipso Auctore confectus

**Stengel, Georg**

**Ingolstadii, 1651**

3. Etiam post Adami lapsum aliquid esse in homine quod honorari possit.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45699**

Psal. 48. 13.

ditum, sed etiam iustitia originali indutum, omniq; virtutum genere condecoratum; quondam etiam à Paradiso terreno in caelestem transferendum, atque iuxta Angelos collocandum. Verum homo cum in honore esset, non intellexit; comparatus est iumentis insipientibus, & similis factus est illis. Secutus sensum, amisit intellectum; non quidem ut nihil, sed ut minus intelligeret; iamq; mentis impetu rationem obscurante, tantum dedexit ab honore, quantum recessit à virtute. Sicur ergo iure suo Conditor, qui mali author esse non potest, opus magni mundi perfectum produxit, ita & paruum mundum voluit esse vndique in origine sua ornatum. Hoc inveni, ait Ecclesiastes, quod fecerit Deus hominem re. Etum: qui si ipse se infinitis miscuit questionibus, & perturbationibus, sibi culpam, non Deo ascribat. Deus qui virtutes dedit, id dedit, vnde gloria surgeret: homo, qui vitijs se mancipavit, causa fuit earum rerum, vnde ignominia nasceretur. Neminem itaque potest de amisso honore, aut ignominia illata, nisi se ipsum accusare, malum quod patitur suo sibi iumento accersuit; dum voluit esse sicut dii, male se in beatam, seu Macariam, ut dicitur abstulit.

Ecclesi. 7. 30.

III.

1. Reg. 2. 30.

Quoniam autem, etiam post Adami peccatum, multae adhuc res in homine excellentes permanserunt, neque omnes virtutes extinctae sunt, debetur illis ex natura sua honos, tamquam testimonium excellentiae. Et quidem illis operibus, quae non solum cum diuina gratia, sed etiam ab eo fiunt, qui est ipse in gratia Dei, debetur honor aeternus ab eo, qui diligentibus se coronam in saecula promisit, quiq; glorificantes se glorificat, iuxta illud: *Quicumq; glorificauerit me, glorificabo eum: qui autem contempserunt me, erunt ignobiles.* Aliquando tamen etiam in hac vita amicos suos honorat; aliquando finit etiam ab alijs honorari; aliquando hunc fugitiuum honorem illis negat, subducit, succidit, semper iustis de causis. Neque enim Deus vlli mortalium, ob quamcumque virtutem, debet honorem temporalem. Etsi enim, ut D. Augustinus ait, *illos honorat & diligit, qui illicita fugiunt, saepe tamen, saltem ad tempus eosdem finit aliqua ignominiae nota infamari; ut innocentem Ioseph, & castissimi nominis feminam Susannam, qui etsi illicita fugerint, tamen eos Deus passus est de adulterijs infamari, ut patientiae laus accederet ad castitatem.* Quemadmodum enim

S. Augustinus  
serm. 64. de  
tempore.

enim aromata vehementius fragrant, cum mouentur, aut teruntur; sic virtutis fama latius diffunditur, quando rebus aduersis exercetur. Vnde quidam, per ignominiam eunt ad famam bonam: neque est parua gloria, infamem simul patienter fuisse, & innocentem.

Nascitur itaque hic quaestio est, cur tantum voluerit Deus à natura hominibus honoris appetitum ingenerari? Cui D. Thomas respondet, omnes naturali beatitudinis suae desiderio teneri, felicesque esse velle, si ex toto non possunt, saltem ex parte. Cum igitur beatitudo sit excellentia quaedam, & quidem maxima, neque honor aliud quid, quam testimonium excellentiae, sit vt homines honorem maximè desiderent, eoque vehementissimè delectentur, quia ex eo testimonio iudicioque, se se felices & excellentes esse intelligunt. Qua de eausa etiam potissimè volunt à sapientibus honorari, quorum iudicia putant minùs errare, esseque veriora. Etsi autem per peccatum debilitata est hominis natura, non tamen est extirpata. Sicut igitur aliquod desiderium beatitudinis, ita & quidam amor honoris mansit, in eo tamen & ipse corruptus, quia saepius tendit in fugitiuum, quam permansurum honorem; neque eo semper modo, aut sine tendit, quo deberet tendere. Quamuis nonnumquam, sapienti Numinis providentia, sicut ex ipsa peccati permissione, ita etiam ex prauo honoris appetitu, multa bona suam sumunt occasionem. Multi etiam, dum eum vincunt, diabolum vincunt; multi dum ab eo ordinato, vel etiam inordinato reguntur, peccata horrent, ne bonum apud homines nomen amittant: multi opera quaedam suscipiunt laboriosa & dura, quae honoribus adiunctis molliuntur; multi honoribus, velut pueri crepundijs, placantur, & sinunt se se velut melimelis satiari: dum enim gloriam aeternam non merentur, recipiunt in operum suorum mercedem gloriam temporalem: multi excitantur ad artes inueniendas vel exercendas; multi ad virtutes ipsas tandem recto ordine colendas; multi ad amicitias conciliandas, & gratitudinem exhibendam; multi dum alios honorant, Deum ipsum in alijs honorant. Denique per hunc honorem ad aeternos honores extimulantur. Quae omnia explicatiùs ostendam.

1. Ad captandas vanas hominum laudes quidam sibi statuas posuc-

IV.

S. Thom. 1. 2. q. 2. a. 2, ad. 2.

V.

posuc-